

immanitatis exemplum et orrende vie periculosum vehi/culum ad gehennam, que a nonnullis clericis Spoletanis et / eorum inconsultis processibus oriuntur. Cum enim convenientis / tonsure decus, aptitudo vestium, ecclesiarum visitatio, / frequens et continuum exercitium divinatorum fructuosam pro/testetur in clericis honestatem, memorati clerici, quos / reprobe vite spiritus sepius ducit in devium, pro tonsure / decore, comis luxuriantibus, ferro capita muniunt, / pro ecclesiarum visitatione, loca inhonesta frequentant, et pro exer/citiis divinatorum, cum gladiis et armis aliis ad offen/sas inventis perpetrare non timent homicidia — pro dolor! — / et rapinas, adeo quod plures partem illam noctis quam natura depu/[tet] humanis sensibus ad quietem non sinunt eorum proximis // esse tutam. Quare, si aliquando public[a] custo[d]ia iuxta municipal(ia) lege[s et] / edictum sic cetos coercere veli[mus] eosdem, ipsi ad defen/sionem erroris propriis documentis publicis se clericali edocent / fore carathere insignitos, cum ipsorum habitus ipsos non / clericos, quin potius scelerate vite ministros manife/stius asseveret; cum itaque huiusmodi perversorum actus illiciti u[ni]/versali fame totius cleri ignominiose derogent, s[can]/dala nutrant et ad turbationis materiam provocent meri/to Christi fidelium puritatem, universitati vestre, auctoritate qua fung[im]ur, / districte precipiendo mandamus quatenus singuli vestrum in propriis ecclesiis / omnes clericos Spoletane civitatis et diocesis tr[i]b[u]s / diebus dominicis et festivis ex parte nostra coram populo / publice moneri curetis, ut, cuiuslibet more sublato dispen/dio, mores et actus suos, abdi[ca]tis a se huiusmodi insolentiis, / per assumptionem honesti habitus et tonsure decentis, sic / studeant in melius reformare quod omnis suspicio / quam contra predictos clericos Dei et hominum inimicos inordinata / ipsorum vita iam edidit de fidelium cordibus deleatur. Volu[mus] autem quod in monitione vestra huiusmodi manifeste predicatis / eisdem quod, si deinceps de aliquibus super premissis infamia ad / aures nostras pervenerit, nos integre contr[a] eos in quantum suadebit iustitia procedemus. Et nichilominus potestatem liberam quam / concessimus potestati Spoletano et aliis rectoribus c[a]strorum et locorum dicte civitatis et diocesis, etiam concedemus [...] per se vel / alios, clericos eosdem et quos huiusmodi nostri m[a]ndati invenerint^{a)} con/temptores personaliter capifaciant et eos sub fida custodia, / ad ipsam penam clericorum ipsorum, ad presentiam nostram mittant / pena debita puniendos. Datum *etc.* /

a) invenerit *Hs.*